In priore erit. 1. *Fames ingraueſcens ver.1.*
2. *Patris & filiorum præcipue Iudæ de Beniamine diſceptatio, vſq; ad ver.11.*
3. *Patris aſſenſus, conſilium, & votum, vſq; ad ver.15.*
4. *Obedientia & profectio filiorum, ver.15.*
In altera erit, 1. *Fratrum in ædes Ioſephi abductio, ver.16.17.*
2. *Eorum pauor & ſolicita purgatio de pecunia, vſq; ad ver.23.*
3. *Oeconomi Ioſephi humanitas, ver.23.24.*
4. *Munerum oblatio, ver.25.26.*
5. *Ioſephi cum fratribus colloquium & στοργὴ ver.27.28.29.30.*
6. *Conuiuium inde ad finem.*

PRIMA PARS CAPITIS

Altera filiorum Iacobi profectio in Ægyptum.

1 *Fames autem grauis erat in terra.*
2 *Et fuit, quando abſumſiſſent comedendo frumentum, quod attulerant ex Aegypto, dixit ad eos pater eorum: reuertimini, comparate nobis modicum cibi.*
3 *Dixit vero ad eum Iudah, dicendo: Conteſtando conteſtatus eſt nos vir ille dicendo, non videbitis faciem meam, niſi frater veſter fuerit vobiſcum.*
4 *Si igitur tu miſeris fratrem noſtrum nobiſcum, deſcendemus: & comparabimus nobis cibum.*
5 *Si vero non miſeris non deſcendemus, quoniam vir ille dixit nobis: nō videbitis faciem meam, niſi frater veſter ſit vobiſcum.*
6 *Tunc dixit Iacob: Quare hoc malo affeciſtis me, & indicaſtis viro, ꝙ adhuc frater vobis eſſet?*
7 *Qui dixerunt: Interrogando interrogabat vir ille nos dicendo: num adhuc pater veſter viuit? num eſt vobis frater? & indicauimus ei ſecundum verba iſta: num cognoſcendo cognoſcere poteramus, quod dicturus eſſet adducite vobiſcum fratrem?*
8 *Et dixit Iudah ad Iſrael patrem ſuum: Dimitte puerum mecum & ſurgemus atq; deſcendemus, vt viuamus, & non moriamur, & nos, & tu, & paruuli noſtri.*
9 *Ego fideiubeo pro eo, è manu mea requires eum, ſi non reduxero eum tibi & ſtatuero eum ante te, pœnæ obnoxius ero omnibus diebus.*
10 *Sane niſi tardaſſemus, certe nunc reuerſi eſſemus huc duabus vicibus.*
11 *Dixit igitur ad eos Iſrael pater eorum: Siquidem omnino ita oportet, hoc facite accipite de optimis fructibus terræ in vaſa veſtra, & deferte viro illi munus, modicum reſinæ, & modicum mellis, aromata & ſtacten, pineas & amygdala.*
12 *Pecuniam quoq; duplicem accipite in manus veſtras, & pecuniam reductam in ore ſaccorum veſtrorum referte in manu veſtra, forte error fuit.*
13 *Fratrem præterea veſtrum ſumite, & ſurgite, ac deſcendite ad virum.*
14 *Deus autem omnipotens det vobis miſericordias ante virum, vt dimittat vobis fratrem veſtrum alium, & Beniamin. Ego vero quaſi orbatus ſum, orbatus ſum.*
15 *Acceperunt ergo viri illi munus illud, & duplicem pecuniam acceperunt in manu ſua, & Beniamin, & ſurrexerunt atq; deſcenderunt in Aegyptum, ſteteruntq; coram Ioſepho.*

EXPLANATIO.

1. FAMES AVTEM GRAVIS ERAT. Fames ingraueſcit in Cananæa non minus quam in Ægypto, nō temere, ſed diuina prouidentia. Paſſim A hauddubie fremebant impii ſub flagello, nec agebant pœnitentiam: Deus igitur intendit pœnam. Sed etiam familia Iacobi affligitur. Nam, vt diximus